

E libris

gymnasio Mauritiano Magdeburgensi

a venerabili

Carolo Funk

theol. doctore et gymnasii directore

a. 1857 hereditate relictis.

C. q. 14.

74
1592-1744

9

DISSERTATIO IN AVGVRALIS
DE
BIBLIOTHECIS
ROMANORVM

QVAM

IN ALMA SAXONVM IVLIA
INCLITO PHILOSOPHORVM ORDINE
CONSENTIENTE

PRAESIDE

ERHARDO REVSCHO

ELOQV. AC POES. P.P.O. ET DECANO

PRO

PHILOSOPHIAE DOCTORIS ARTIVMQVE LL. MAGISTRI
PRIVILEGIIS ET HONORIBVS
RITE CONSEQUENDIS

IN AUDITORIO MAIORI
AD D. XXI DECEMBR. CLOCCXXXIIII

HORIS CONVENTIS
DEFENDET

CHRISTIANVS CVRIO

OTTERNDORFIO-HADELIENSIS.

HELMAESTADI
TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII
ACAD. TYPOGR.

DISTRIBUTIO INACHARTENS
DE
**BIBLIOTHECA
ROMANORVM**
IN ALMA SAVONAM VANI
INCULTISSIMA SOPHRONIUM ORDINE
CONVENTINTA
PRAESEDE
ERHARDO REASCHIO
PHYSICIENS DOCTORIS ARTIVMAE ET MAGISTRI
PRIMUMGENIT ET HONORABILIS
RTE CONSULUS LINDS
ET ACADEMICUS MAIORI
AD LXI DECIMVS CCCCCXXVII
HORIS CONVENTA
RESTITUTUS
OTTENBOURGO-AACHENENSIS

CHRISTIANVS CARIO
HELMESSTADT
TYPIS SANCTI PETTERI ET H. GORNI
VEB. TYPIC.

DISSE^RTATIONIS
DE
ROMANORVM BIBLIOTHECIS
CONSPECTVS.

- I. Romani, populus bellicosus, sero excoluerunt historiam, philosophiam, rhetorican. Libri eorum antiquissimi. PHILADELPHVS libros petit a Latinis. PETAVIUS emendatio in EPIPHANIO probata. iudicium de illa historia. conjectura, num a PHILADELPHO Romani fuerint excitati ad scribendas res a se gestas?
- II. Prima apud Romanos bibliotheca AEMILII PAVLLI.
- III. Senatus, capta Carthagine, bibliotecas donat regulis Africae. PLINIVS illustratus. PHILOMESTOR et ATTALVS, duo reges.
- III. SULLA, captis Athenis, cum biblioteca APELICONIS libros ARISTOTELIS et THEOPHRASTI Romanum transferit. Eam FAVSTVS, Sullae filius, habebat in Pompeiano. dictator non depositum in Capitolio. Flexio casus secundi in nomine AREPHALINVS.
- V. LVCULLVS, amicus literatorum, libros colligit in usus eruditorum. Bibliothecam non publice dedicavit. Eius possessio ad filium deuoluta. CATO et CICERO ea utuntur. CASSANAEVS notatur.
- VI. VARRONIS bibliotheca. Hortus bibliothecis additus. Eruditorum imagines in bibliotheca, de his scripsit VARRO. PRO IULIO CAESARE collegit bibliothecam. VARRONIS libri de bibliothecis.
- VII. Libri in bibliotheca CICERO-
NIS. Eam comparauit ab ATTICO. Disiectae a Clodio reliquias TY-
RANNIO disposit. Cicero auxit per-
mutatione. expilauit DIONYSIVS.
- VIII. Q. CICERONIS libraria. Li-
brariorum incuria.
- VIII. In ATTICI familia plures li-
brarii. eius bibliothecam sibi com-
parat TULLIVS. Imagines, quas ibi habuit, ATTICVS descripsit.
- X. TYRANNIO quis? numerus li-
brorum, quos possedit. CASSA-
NAEVS notatus.
- XI. De EPAPHRODITO. librorum copia. MUCIANI bibliotheca.
locus dialogi de oratoribus expli-
catus. notio uerbi contrahere eu-
loluta.
- XII. Imago MARTIALIS posita in
bibliotheca STERTINII AVITI,
VALERI ET IULII MARTIALIS,
STELLAE ET SILII ITALICI,
bibliothecae. PLINII Laurenti-
na et Nouocomensis. in hanc
quotannis HS. C impendebantur.
HERENNIVS SEVERVS suam or-
nat imaginibus CORN. NEPOTIS
et TITI CASSII. Statuae in bi-
bliothecis.
- XIII. SERENI SAMMONICI et GORDIA-
NI, itemque BOETHII bibliothecae.
- XIII. Connexio de CICERO.
- XV. ASINIUS POLLIO in atrio Liber-
tatis primus bibliothecam publi-
cauit. Domus alta Remi, apud MAR-

- 4 (20)
- TIALEM** quae sit? **POLLIO** pri-
mus declamauit. **ISIDORVS** no-
tatus. Asinius triumphauit de
Dalmatis, quando islam conse-
cerat? **PLINIVS** emendatus, et
explicatus **VARRONIS** imago in
hac bibliotheca est collocata, lo-
cutione: *in urbe Romae.*
- XVI.** Octauiana ab **AVGVSTO**, non
ab Octavia, est publicata **PLU-**
TARCHI lapsus. Marcelli mors.
Octauiana ubi sita? **C. MELISSVS**
eam ordinavit. Conflagravit sub
Tito.
- XVII.** Palatina, non una, sed duae
fuerunt. **AVGVSTI** statua. L' pedum
sub habitu Apollinis. **POM-**
PEIVS MACER ordinavit. No-
mina praefectorum. Poemata, iteim
JOSEPHI et **PHILONIS** opera
ibi reposita.
- XVIII.** Palatina in incendio urbis sub
Commodo non omnino perire.
Num effugerit urbis deuastatio-
nes, Gothicas et Vandalicam?
num **GREGORIVS** P. M. deleter-
it? Confunduntur a non nemini-
ne Octauiana et Palatina. Tres Ro-
mae bibliothecae, imperante Au-
gusto. Prima illa publicatio bibli-
othecarum sapit artem dominandi.
- XIX.** Domus **TIBERIT** in monte
Palatino, in ea erat bibliotheca.
NERONIS tempore flammis con-
sumta. Reparata **VOPISCI** ad-
huc aevo floruit. **VOPISCI** le-
ctio vulgaris defensa. **NUMERI-**
ANVS bibliothecam constituisse
non uidetur. In Tiberianam po-
- etarum quortundam scripta sunt
illata, non item Apollo Temenites.
- XX.** **VESPASIANVM** Pacis templo
bibliothecam adiunxisse, proba-
tur. Eam ignis depauit, regnante
Commodo, et cum ea **GALENI** li-
bros. Eruditorum congressus in
templo Pacis. eius ornamenti.
- XXI.** In **CAPITOLIO** stetisse biblio-
thecam, argumentis non satis firmis
probatur, quis illius autor,
DOMITIANVS, an **HADRI-**
ANVS? argumenta pro sententia
utraque.
- XXII.** De loco bibliothecae **VLPIAE**,
an in templo **TRAIANI**? quod
situm erat in regione VIII. Binae
bibliothecae. **S A V A R O N I S** la-
pus. **SIDONIO** statua ubi posita;
et quando? **Vlpia** in Thermae
Diocletianae translata. statua **NV-**
MERIANI.
- XXIII.** Gesta principum et SCta ibi
reposita. Libri linte. gesta prin-
cipum, leges, priuata munimenta
et sacra, in iis exarata. SCta in
tabulis eboreis.
- XXIV.** Ut **HADRIANVS** se gesserit
erga litteratos. Bibliotheca Athene-
nsis. **Vlpia** translata. **TIBUR-**
TINA. Villa Tiburtina ab **HA-**
DRIANO adamata.
- XXV.** Epilogus. **PISO** multos pos-
sedit libros. **TACITI** Imp. amor
erga **TACITVM** et bibliothecas.
Quot bibliothecae Romae fue-
rint? Majorum bibliotheca nulla
fuit.

AIT

A

Rem

21002) 15 (20) 18 30
I.
Rem Romanam per quinque ipsa saecula sine notabili librorum apparatu uiguisse, certum est. Veteres quippe Romani armis, quam litteris, clariores exstiterunt. Bellum Romae Italiaeque ceruicibus imminebat quotidie. ob finitimorum potentiam arma de manibus numquam deponebant, adeoque Martis studio intenti, Musas negligebant. Esse autem litteras Romae serius excultas, omnemque librorum cultum absuisse, uel illud argumento est, quod FABIVM PICTOREM non aliud apud Romanos scriptor aetate anteceat. immo M. PORCIUS CATO primus fuit de natali urbis conditae inquirendo a) sollicitus. Ante Catonem carmina de clarorum uirorum laudibus in epulis cantabantur a singulis conuiuis. b) Et quamuis referta quondam Italia Pythagoraeorum fuerit; c) non tamen ante PANAE TIVM, Scipionis junioris praceptorum, Romae philosophiam floruisse, pro certo adfirmari potest. d) neque Rhetores ibi floruerunt, qui, tamquam nouum genus disciplinae instituerent, SCRO A. V. C. I^oXCII, et a censoribus, A. V. C. I^oCLXI urbe sunt electi. e) neque Tullii tempore alicuius scriptum oratoris extabat, dignam lectione, quod fuerit Catone antiquus; f) nisi Appii Claudi Caeci oratio, qua senatum reuocauit a pace cum Pyrrho ineunda, itemque nonnullorum mortuorum laudationes. Contenti erant libris Numae, annalibus pontificum maximis, legibus XII tabularum, fastis, legis actionibus, iure faciali, libris Sibyllini, fulguralibus, ritualibus, auguralibus, carminibus, saliaribus, similibusque; sed hi libri onanes, si quidem libri sunt nominandi, sparsim seruati, bibliothecae nomen uix ac ne uix quidem tueruntur. At Ptolemaeus Philadelphus li-

A 3

bros,

- a) IOS. SCALIGER de emend. temp. lib. V, p. m. 363.
b) CICERO in Bruto c. 19.
c) Idem de oratore l. II, c. 36 in orat. pro Archia poeta c. 3.
d) PAGAN. GAVDENTIVS de ortu et progr. philos. apud Rom. a cap. 2 usque 7.
e) GELLIVS l. XV, c. 11. GAVDENTIVS l. cit. cap. 14.
f) in Bruto c. 18.



DE BIBLIOTHECIS

bros, quibus suam in Bruchio Alexandriae recens conditam bibliothecam augeret, a Latinis petiisse memoratur **GEORGIO CEDRENO**, g) et **EPIPHANIO**, h) ubi Demetrii Phalerei uerba ad regem recitat: Ακούομεν δὲ ἔτι πολὺ πλῆθος ἐν τῷ κόσμῳ υπάρχειν, παρὰ τε Αἰθίοψι, καὶ Ινδοῖς, Πέρσαις τε, καὶ Ελαιμίταις, καὶ Βαθυλαϊσις, Ασσυρίοις τοῖς, καὶ Χαλδαϊσι, παρὰ Ρωμαϊοῖς τοῖς, καὶ Φοινίξι, Σύροις τοῖς, καὶ τοῖς ἐν τῇ Ελλάδι, ὅπου τρώματος καλουμένοις ἀκμὴν, ἄλλα Δατίνοις. Ad quae **DIONYSIUS PERGAVIUS**, uir harum litterarum scientissimus, recte monuit, i) posterius membrum, quod ad Demetrii orationem Epiphanius attexuit, sede sua motum esse, et post Ρωμαϊοῖς collocandum; aut illa potius, παρὰ Ρωμαϊοῖς τοῖς, post, ἐν τῇ Ελλάδι, reponenda. Qui eandem historiam descriptere, **ARISTEAS**, **JOSEPHVS**, **EVSEBIUS**, **NICEPHORVS**, silent ista populorum nomina, et generatim enarrant, Demetrium dedisse operam, ut omnium gentium libros conquereret. Ex his iam obscurum esse non potest, quae de Philadelpho, libros a Latinis requirente, dicitur, non usque adeo firma esse et indubia. Quod si tamen quosdam ab iis retulit, paucos fuisse oportet; neque, opinor, alios, quam illos ippos, quos modo recensuimus. Venit in mentem suspicari, num Philadelphus sua hac curiositate Romanos fortassis excitarit, ut res a maioribus gestas, diligentiori studio conquererent, conquistasque literis confignarent? Certe non habent scriptorem, qui Philadelphum aetate supereret.

II. Quum sic fere fine conspicua librorum abundantia per quinque saecula et ultra urbē Roma stetisset; tandem e spoliis deuictarum gentium hoc thesauro est ditata. Inter primos, qui Romanū aduixerunt librorum copiam, nominare possumus **AEMILIUM PAVLVM**, k) qui, Perse Macedonum rege subactō A. V. C. IoLXXXVI, ex immensa auri argenteique præda regiisque opibus, solos sibi suisque liberis, literarum studiis,

g) *Histor. Parte I, p. 132. edit. Venet. nouiss.*

h) *de mensuris et ponder n. 9.*

i) *animadu. ad b. l. p. 380.*

k) *ISIDORVS origin. l. VI, c. 5.*

ROMANORVM.

sis, libros seruauit. Ita PLVARCHVS: I) οὐδενὸς δὲ ἡπταν
άιντοῦ τὴν ἐλευθερίητα καὶ τὴν μηγαλοψυχίαν ἐπήνουν οἱ ἀνθρώ-
ποι, πολὺ μὲν ἀξιόγενοι, πολὺ δὲ χειροίσιν ἐκ τῶν θαυματικῶν ἰδεῖσιν
οὐδὲν ἔθελονταν, ἀλλὰ ταῖς ταμίαις εἰς τὸ δημόσιον παραδό-
τος, μόνα τὰ βιβλία τοῦ Βασιλέως Φιλορεμματῶν τοῖς θεάσιν ἐπέ-
τρεψε ἔχεισθαι. Nec minus quam reliquas uirtutes, liberali-
tatem eius et animi magnitudinem praedicabant homines, quod
uim ingentem auri, ingentem argenti, ex regiis coactam the-
sauris, ne adspicere quidem sustinuerit, sed quaestoribus, ut in
aerarium deferrent, permisérunt. libros regios tantum studio-
sis litterarum concessit filiis.

III. Carthagine capta A. V. C. I°CXVIII, noua publicandae
bibliothecae occasio a Romanis praetermittebatur. Bibliothecae
in praedam cesserant: sed senatus litterarum curam fastigio suo
indignam censuit, ac libros regulis Africæ concessit. Rem
omnem exponit PLINIVS, m) scribens: *De cultura agri*
praecipere, principale fuit etiam apud exteriores, siquidem et reges
fecere, Hiero, Philometor, Attalus, Archelaus; et duces, Xe-
nophon, et Poenus etiam Mago: cui quidem tantum honorem se-
natus noster habuit, Carthagine capta, ut, cum regulis Africæ
bibliothecas donaret, unius eius daoderiginta volumina cen-
seret in Latinam linguam transferenda, n) cum iam M. Cato
praeceptra condidisset, peritisque linguae Punicae dandum nego-
tium, in quo praecepsit omnis vir clarissimæ familiae, D. Sylla-
nus. Ad quem locum moneo, in quibusdam editionibus con-
iungi Philometor Attalus, demta interpunktione. sed duos esse
reges, constare potest partim et COLVSELLA, qui legit,
Philometor et Attalus, partim ex elenco, quem ipse libris suis
praefixit PLINIVS. Ita in elenco libri VIII scriptum est: At-
talō rege, Philometore item. l. X Philometorem solum nominat,
omisso Attalo. et l. XI inter Attalum regem, et Philometo-
rem regem, plures alios auctores interfuerunt.

III.

I) in vita Aemilii, p. 270.

m) H. N. lib. XVIII, c. 3.

n) Copf. M. VARRO ET COLVSELLA de R. R. uterque lib. I, c. r.

DE BIBLIOTHECIS

III. Post sexaginta fere annos L. Cornelius Sulla, vir litteris Graecis et Latinis non indoctus, e praeda Atheniensi Romae bibliothecam constituit. Rem omnem fuse exponit PLVTARCHVS, o) cuius uerba e versione Latina adscriptissime non pigebit : *Ex Epheso quum totam classem soluisset, tenuit tertio die Piraeum. ibi mysteriis initiatuſ, defunxit ſibi bibliothecam Apelliconis Teii, in qua plerique Aristotelis et Theophrasti libri erant, haud dum ſatis in uulgo noti. Ex ea, ubi deportata Romam fuit, ferunt plurima interueritſſe (εναντίον θασίαι) Tyrannionem grammaricum, a quo accepiffere Andronicum Rhodium exemplaria, eaque in lucem editiſſe, et uulgoſſe hos, qui nunc manibus teruntur indices. Enim uero Peripatetici antiquiores uidentur illi quidem elegantes fuſſe et eruditis; ſed Aristotelis et Theophrasti ſcripta neque pleraque, neque exacte uoluſſe, uerum ob heredem Nelei Scopſi, cui libros ſuos reliquit Theophrastus, ea ad inertes homines recidiffe atque indoctos. Eadem, hoc ipſo aucre laudato, SVIDAS p) repetit. STRABO, q) ubi ſata librorum Aristorelicorum uberrime proſecutus, et de mendorum multitudine eſt conqueſtus, mitius iudicat de Tyrannione : Statiſ a morte Apelliconis, Sulla, cum Athenas cepiſſet, bibliothecam illius recepit : quae cum buc eſſet adlata, Tyrannio a bibliothecae praefecto obtinuit, ut ſibi eorum uſus permetteretur, homo Aristotelis ſtudioſus. Eam ſat amplam uifſe, tum ſpolia Athenis aucta, tum uerba Samofateniſi r) deriſoriis, perſuadent, ἵπαντα ἐπίνια κτήση, indoctum adloquentis, ὅτα ὁ Σύλλας Αθηνῶν εἰς Ιταλίαν ἐκπισυψε, τὶ ἀν ἐν τούτοις πλέον εἰς παιδεῖαν κτήσαι. Iam ut tot poſſideas libros, quot Athenis in Italianam aduexit Sulla, nun ideo eruditior es futurus? Deuenit huius bibliothecae hereditas in manus filii, L. Corn. Sullae Faufi, generi Pompeii, quam ille habebat in Pompeiano prope Puteolis, ubi eadem ſe uulum eſſe CICERO s) profitetur : Ego hic (Puteolis) paſcor bibliotheca*

o) in uita p. 468. a. b.

p) uoc. Syllas, tom. II, p. 824. edit. Aemilii Porti.

q) Geograph. lib. XIII, p. m. 419.

r) LUCIANVS dialogo adu. indoctum, tom. II, p. 539. edit. Io. Benedicti.

s) lib. IIII ad Attic. ep. 10.

ROMANORVM.

theba Fausti. Vnde corruit **I V S T I R Y C Q Y I I** t) conjectura, Sullam, qui Capitolium ornauit honorificentissime, ibi quoque bibliothecam deposuisse. Quem uero post Faustum, alium atque alium dominum sit fortita, non liquet. Diversam hic, ἐτι ταρθδη, secundi noto casus flexionem in nomine Απελλίνων, quam **PLVTARCHVS** facit Απελλίνωνε_ς **S T R A B O**, Απελλίνοντος, **S V I D A S**, Απελλίνωντος.

V. **ISIDORVS**, praeterito Sulla, Aemilio comitem dederat **L V C V L L V M**, Romam, inquiens, *primus librorum copiam ad- uexit Aemilius Paullus, Perseo Macedonum rege deuicto; deinde Lucullus e Pontica praeda.* Eft hic L. Licinius Lucullus, qui Mithridarem persecutus, Pontum legionibus Romanis patefecit u) A. V. C. locLXXXI, apud quem studiosis litterarum doctrisque omnibus aditus patuit, cuiusque domus ueluti commune museum fuit et refugium. Ibi enim docti uiri de grauissimis philosophia quaestionibus et inter se conferebant et cum Lucullo, qui, quoties a negotiis uacabat, colloquiis praesens intererat. Quae omnia suo calculo approbat, studiumque Luculli librarium praedicat **PLVTARCHVS** x) hisce uerbis: *Commendanda fuit eius et perhibenda in librorum supellectilem impensa. multos enim et eleganter descriptos cumulanit. Erat etiam eorum usus, quam comparatio, liberalior: quod bibliothecae omnibus patarent, atque in adiectas ambulationes scholasque reciperentur omnes Graeci, uelut ad Musarum hospitium diuertentes, tempusque inter se traducentes, ubi libenter se ab negotiis aliis reficiebant. Ingrediebatur ipse subinde ambulationes, ac cum studiosis conferebat, et rel.* Humanitatis est insigne specimen, quoslibet Musarum filios admittere ad bibliothecam, qua maiorem paene promeruit laudem, quam si publicis eam usibus consecraset. Lucullum enim librorum usum ex mera tantum benevolentia concessisse aliis, corundemque proprietatem seruasse sibi, hac ratione concluso, quia bibliothecae possessionem post parentis obitum ad filium esse

B

deuo-

t) *de Capitol. c. 35, p. 418.*

u) *CICERO pro L. Manilia et pro Archia poëta.*

x) *in vita Luculli p. 519. Conf. PAGAN. GAVDENTIVS loc. cit. c. 19.*

DE BIBLIOTHECIS

deuolutam legimus. Hereditate enim a parente tradita filio, Cato libros adhuc Stoicorum euoluebat, et Cicero commentarios inde quosdam Aristotelicos exprimebat. In *Tusculano* quum essem, uerba sunt **TVLLII**, y) uellemque e bibliotheca pueri *Luculli* quibusdam libris uiri, ueni in eius uillam, ut eos ipse, ut solebam, inde promerem: quo quum uenisssem, M. Catonem, quem ibi esse nescieram, uidi in bibliotheca sedentem, multis circumfusum Stoicorum libris.

BARTHOL. CASSA NAEVS z) eam a **BVDAE**O multum laudari perhibet. at is de luxu hominis et de opibus amplissimis, de epulis, delicis, piscinis, uerba faciens e **PLVTARCHO**, **ATHENAE**O, **VARRONE**, aliis, bibliothecae uix tribus, quod aiunt, uerbis mentionem iniecit, nihilque aliud de ea commemorat, quam, *insigni utriusque linguae libris refertam* fuisse eam, *omnibusque obuiam et patentem.* a)

VI. M. TERENTIVM VARRONEM et inter primos librorum cultores sua laude non esse defraudandum, notius est, quam ut pluribus dicendum sit. Libros eum bene multos habuisse sepolitos, colligitur ex **TVLLII** b) ad ipsum uerbis: *Si hortum in bibliotheca habes, nihil deerit.* Inter alia quippe bibliothecarum ornamenta, commoditates ac delicias, erat etiam hortus adiacens, in quo studiis fessi, animum aequem ac corpus deambulando refecerunt. Varro is est, qui in sua statutas bibliotheca habebat uirorum imagines eruditorum, quos ipse elogiis, editis aliquot de *Imaginibus seu Hebdoma-* d) libris, ornauit. Dolendum uero, egregium hunc thesaurum, quum is ab Antonio A. V. C. **I**CCX proscripteretur, fuisse direptum. d) Praeter hanc priuatam, construere quoque coepit publicam, auctoritate **C. IVLII CAESARIS.** Is quippe Latinorum primus celebratur, qui impensas ad bibliothecam publicam contulit. Litteratissimus enim principum quuna
ef-

y) *de finib. lib. III, c. 2.*

z) *Catalog. glor. mund. part. XII, confid. 73, p. 586.*

a) *de ase lib. II, p. 267. edit. Rechenb.*

b) *lib. VIII, ad djuers. ep. 4.*

c) *VARRO apud GELLIVM N. A. lib. III, c. 10.*

d) *PLINIUS H. N. lib. XXXV, c. u. VOSSIUS de hist. Lat. lib. I, c. 13.*

ROMANORVM.

esset, doctissimo VARRONI id dederat negotii, ut, quod ipse occupatissimus praestare non poterat, perficiendum curaret. SVETONIVS : e) Bibliotheas Graecas et Latinas, quas maximas posset publicare, data M. Varroni cura comparandarum ac digerendarum, parabat. His gemina tradit ISIDORVS: f) Post hos (Paullum et Lucullum) Caeſar dedidit M. Varroni negotium cauſa maxime bibliothecae conſtruenda. Id quod aniam Terentio praebeuit haud dubie conscribendorum de bibliothecis librorum, quorum uix tria hodie uocabula supersunt, seruata a SOSIPATRO CHARISIO. g) Sed haec talia meditantem mors Iulium praeuenit.

VII. Nec praetereundus est M. TULLII apparatus, qui ipsem gloriatur, librorum se habere Antii festiuam copiam. h) in illis erant Eratosthenes, Serapio, Hipparchus; instituerat enim scribere geographicā. Vixit autem Antii in litteris A. V. C. Iō c XCIIL. Et fortassis magnam librorum partem a Iō c LXXXVIII iam comparauerat ab Attico suo, quem hortatur, ut bibliothecam suam ne in alium transferat, quum ipse illud subſidium senectuti parare cogitaret. i) Quum furor Clodii, aedibus incensis, cum reliquis bonis et bibliothecam a Iō c XCV diripuisset, non reliquias tantum colligit, sed et varie auctas eleganter exornauit, ut ipse a. Iō c XCVII Attico k) significat: Per belle feceris, si ad nos ueneris. offendes designationem Tyrannionis mirificam in librorum meorum bibliothecas; quorum reliquiae multo meliores sunt, quam putaram. etiam uellem mibi mittas de tuis librariolis duos aliquos, quibus Tyranno utatur glutinatoribus, ad cetera administris, iisque imperes, ut sumant membranulam, ex qua indices fiant, quos uos Graeci, ut opinor, συλλαξεις appellatis. Deinde, l) Bibliothecam, ait, mihi tuj

B 2

e) in uitia Caeſaris c. 44.

f) loc. cit.

g) Institutt. grammatic. lib. I, p. 67, 106, et uig. edit. Hel. Putschii.

h) ad Attic. lib. II, ep. 6.

i) ad eund. lib. I, ep. 10. uid. infra §. 9.

k) lib. IIII, ep. 4.

l) ibid. ep. 5.

DE BIBLIOTHECIS

tui pinxerunt constructione et stirbis: Mox ad eundem: m)
 Postea uero quam Tyranno mibi libros dispositi, mens addita ui-
 detur meis aedibus: qua quidem in re mirifica opera Dionysii
 et Menophili tui fuit. nihil uenustius, quam illa tua pugnata,
 postquam stirbis libros illustrarunt ualde. Tria haec loca,
 quae et se inuicem, et totam antiquitatem librariam egregie
 illustrant, bona fide repraesentauit ex GRAEVIO; non enim iam
 uacat diuersam illorum scripturam discutere, multo minus alio-
 rum στοχασμῶν sub examen reuocare. Auxit præterea libros per-
 mutatione cum Quinto fratre; de eius bibliotheca mox uerba
 faciam. Postquam ita cum libris in gratiam rediens, n) in biblio-
 thecam se temporibus turbulentis abdiderat, o) a Dionyso ser-
 uo daimonum illatum a. loc VIII queritur P. Sulpicio, p) scribens:
*Dionysius seruus meus, qui meam bibliothecam multorum lib-
 rum tractauit, quum multos libros surripuissest, nec se impune
 laturum putaret, aufugit.* Atque huc collineat Catonis re-
 sponsum, quod Tullio, libros e biblioteca Luculli requirenti,
 dedit: *Tu autem, quum ipse tantum librorum habeas, quos hic
 tandem requiris?* q)

VIII. Clara quin etiam tum temporis fuit libraria QUINTI
 fratris, quam MARCVS, Romanorum disertissimus, a. loc XC VIII
 ita r) celebrat: *De bibliotheca tua Graeca supplenda, libris
 commutandis, Latinis comparandis, ualde uelim ista confici,
 praesertim cum ad meum quoque uicum spectent. sed ego, mihi
 ipsi ista per quem agam, non habeo: neque enim uenalia sunt,
 quae quidem placeant, et confici nisi per hominem et peritum et
 diligentem non possint. Chryippo tamen imperabo, et cum Ty-
 rannione loquar.* Verus ergo est querela de librariorū incu-
 ria, qui fere non alios, quam mendosissimos, codices exararunt.
 Quorum etiam pertinent, quae eidem Quinto MARCVS s)
 scri-

m) ep. 8.

n) lib. VIII, epist. 1.

o) lib. VII, ep. 28.

p) lib. XIII, epist. 77.

q) de finib. lib. III, c. 3.

r) lib. III, ep. 4 ad Q. fratrem.

s) lib. III, ep. 5.

scribit: *Dé libris*, Tyrannio est cessator: Chrysippo dicam: sed res operosa est, et hominis per diligentis. Sentio ipse, qui in summo studio nihil adsequor. De Latinis uero, quo me uertam, nescio: ita mendosè et scribuntur et ueneunt: sed tamen, quod fieri poterit, non negligam.

VIII. Nunc memorandus est elegantissimus eques Romanus, T. POMPONIVS ATTICVS. Habebat is in familia plurimos librarios, t) qui libros deseribent, et unde fructum perciperet. Eorum autem, siue suis conseruaret usibus, siue ueiales haberet, tantus cerre erat numerus, ut bibliotheca TVLLIO vocaretur, qui eam sibi comparaturus nomen inter procos et corriuales profitetur. *Libros tuos conserua*, scribit Attico, u) et noli desperare, eos me meos facere posse. quod si adsequor, supero Cras-jum diuitiis, atque omnium uicos et prata contemno. et mox: x) Bibliorhecam tuam caue cuiquam desponeas, quamvis acrem amatorem inuenieris: num ego omnes meas uindemiolas eo reseruo, ut illud subsidium senectuti parem. Quid? et in bibliotheca sua habuisse imagines, arguo ex ipsis CICERONIS, y) Malo, inquietis, in illa sedecula, quam habes sub imagine ARISTOTELIS, se-dere, quam in istorum sella curuli. Atque hinc ATTICO natum est, quod de imaginibus volumen z) edidit. De quo PLINIVS exaudiendus est: *Imaginum amorem flagrasse quondam, te-stes sunt et Atticus ille Ciceronis, edito de his uolumine, et M. Varro etc.*

X. Ex Tullii amicis praeterea euocandus est TYRANNIO, Amasenus Grammaticus, qui in patria Strabonem a) erudituit. Ipse edocitus est ab Hestiaeo, et Dionyfio Thrace, quem alii tradunt, uicto Mithridate, a Lucullo Romam ducrum esse, alii cum Lucullo Tyrannionem commigrasse uolunt. ubi ultra tres librorum myriades acquisiuit, interque illos ARISTOTELIS

t) CORN. NEPOS in uita c. 13.

u) lib. I, epist. 4.

x) lib. I, ep. 10. uid. supra §. 7.

y) ad Att. lib. IIII, ep. 10.

z) PLINIVS H. N. lib. XXXV, c. 2.

a) STRABO geogr. lib. XII, p. 377.

opera. b) Hoc loco temperare mihi non possum, quin insig-
nem BARTHOLOMÆI CASSANEI c) errorem, in quem
et alios ab ipso inductos deprehendo, notem scribentis,
Tyrannionem tria tantum librorum millia possedisse. At
quantulus hic numerus? Cauere sibi ab hoc lapsu potuisset, si
PLVTARCHVM consuluissest et SVIDAM, qui ambo nume-
rant βιβλία ὑπὲ τὰς τρεῖς μυριάδας, hoc est, ultra triginta li-
brorum millia. SVIDAS d) haec habet: ὅς οὐδὲν εἰς Ρώ-
μην ληφθεὶς αἰχμάλωτος ὑπὸ Δουκούλλου, ὅτε κατεπολέμησε Μι-
θριδάτην τὸν τοῦ Πόντου ἐθνῶν Σαπιλίσταντα. διατεπής δὲ γενο-
μενος ἐν Ρώμῃ, καὶ πλουσίος, ἐκποστατο καὶ βιβλία ὑπὲ τὰς τρεῖς
μυριάδας.

XI. Prodeat nunc EPAPHRODITVS, e) patria Cheroneus, professione Grammaticus, qui Romae sub Nerone usque ad Nerva-
nam, scriptis editis, claruit, et anno aetatis LXXV decepsit: claritatem quoque nominis adeptus est libris adfudice coemtis,
quorum tres myriades collegisse dicitur, optimorum et sele-
ctorum. Epaphroditio aetate proximum subiungo M. LICI-
NIVM MVCIANVM, sub principatu Othonis et Vespasiani
toga et sagō potentem, rerumque ciuilium peritissimum, qui,
opibus abundans, uetera undique monumenta conquisiuit, et
cuius magnificientiam plus quam priuatam TACITVS f) et
auctor dialogi de oratoribus g) collaudant: Necio, inquit hic,
an uenerint in manus uestras haec uetera, quae et antiquorum
bibliothecis adhuc manent, et nunc maxime a Muciano contra-
buntur; ac iam undecim, ut opinor, actorum libris et tribus
epistolarum composta et edita sunt. Video, dubitari hoc loco
posse de notione uerbi contrabere, num idem sit ac colligere,
in unum cogere; an significet coartare, summatim exponere, in

com-

b) Vid. supra §. 4.

c) Catal. glor. mundi lib. XII.

d) Voce Tyranno, tom. II, p. 959. HESYCHIVS ILLVSTRIVS de phi-
losophis.

e) SVIDAS uoce Epaphroditus, tom. I, p. 966. Aristophanis Scholia stes.

f) Hist. lib. II, c. 5. ^c

g) cap. 37.

ROMANORVM.

compendium mittere? et puto, pro priore decernendum esse.
Neque obsunt uerba postrema. non enim indices seu συλλαβωτικα
facere quis potest, nisi largiore librorum copia fuerit instru-
ctus.

XII. Eodem fere aeuo uixit STERTINIUS AVITVS, quem
uirum clarissimum uocat MARTIALIS, et iactat apud
Torannium, h) ab Auito suam in bibliotheca imaginem esse
positam. *Epigramma, quod extra ordinem paginarum est, ad*
Stertinium clarissimum uirum scripsimus, qui imaginem meam
ponere in bibliotheca sua uoluit. De quo scribendum tibi putauis,
ne ignorares, Autus iste quis uocaretur. Quam ob causam, ut
gratum se patrono praebereret, epigrammate i) ipsum celebra-
uit. Ipse quin etiam M. VALERIUS MARTIALIS suae me-
minit bibliothecae, ubi queritur, Liuium se totum non possi-
dere, disticho k) notissimo:

Pellibus exiguis artatur Liuius ingens,
quem mea non totum bibliotheca capit.

IVLIVS quoque MARTIALIS in praedio, quod Iongo Ian-
cili iugo recumbebat, l) collocatam possidebat bibliothecam,
in quam inseri suos poeta libellos cupid, carmine m) se-
quenti:

Ruris bibliotheca delicata,
uicinam uider unde lector urbem,
inter carmina sanctiora si quis
lasciuiae fuerit locus Thaliae,
hos nido licet inseras uel imo,
Septem quos tibi misimus libellos,
auctoris calamo sui notatos :
haec illis pretium facit litura.
At tu, munere dedicata paruo,
quae cantaberis orbe nota toto;

pignus

h) in epistola, praefixa epigrammatum libro VIII.

i) epigr. 1, libri eiusd.

k) lib. XIII, epigr. 190.

l) lib. III, epigr. 64.

m) lib. VII, epigr. 6.

DE BIBLIOTHECIS

pignus pectoris hoc mei tuere,
Iuli bibliotheca Marcialis.

Fortassis et STELLA, poeta Parauinus, qui Romae habitabat in Sabura, ibidem libros congesserat, quibus et suum MARTIALIS n) aggregari optat:

Velfi malueris, prima gradire Sabura:
aria sunt illuc consulis alta mei.

De C. SILII ITALICI βθλιοφιλα unum, quod sciam, exstat PLINII o) testimonium: Plures iisdem in locis (in Campania) villas possidebat, adamatisque nouis, priores negligebat. Multum ubique librorum, multum statuarum, multum imaginum, quas non habebat modo, uerum etiam uenerabatur: Virgilii ante omnes, cuius natalem religiosus, quam suum, celebrabat; Neapoli maxime, ubi monumentum eius adire, ut tempulum, solebat. Silio fere aequalis fuit C. PLINIVS CAECILLIVS SECUNDVS, qui in Laurente suo non ipsam quidem bibliothecam, sed libros selectos disposuerat: p) Parietis eius, in bibliothecae speciem, armarium insertum est, quod non legendos libros, sed lectitandos capit. Immo et in municipio Novocomenii bibliothecam dedicauit, habita oratione, quam emendandam misit Pompeio Saturnino: q) Petiturus sum, ut rursus uaces sermoni, quem apud municipes meos babui, bibliothecam dedicaturus. Meminit huius liberalitatis fragmentum Mediolanense, unde patet IN TVTELAM BIBLIOTHECAE HS. C liberaliter impendi uoluisse. Denique et HERENNIVS SEVERVS ornatissimam instruxit, instructamque doctorum hominum iconibus exornauit. Herennius Seuerus, scribit PLINIVS, r) uir doctissimus, magni aestimat in bibliotheca sua ponere imagines municipum tuorum, Cornelii Nepotis, et Titi Cassii, petisque, ut si sunt istic, ut esse credibile est, exscribendas pingendasque delegem. Varronis, Attici, Marcialis, Sette-

n) lib. XII, epigr. 3, u. 9.

o) lib. III, epist. 7.

p) lib. II, epist. 17. o

q) lib. I, epist. 8.

r) lib. IV, epist. 28.

ROMANORVM.

Seueri, exempla hactenus recensita, inducere quem possunt ad credendum, solitos fuisse ueteres, in bibliothecarum ornamenti annumerare picta potissimum simulae et deorum et hominum, sed et facta eos admisisse, contra IOANNEM PRI-CAEVM, id negantem, s) dudum demonstrauit THOMAS CRENIVS, t) cuius loculos iam excutere nolumus. Ne tamen αστινθολος abeam, lectores ad SENECAM u) et IVVENALEM x) ablego. Alia ueterum testimonia suo loco in medium proferemus.

XIII. Sed e diuerticulo in uiam redeo, et quam non minus incuriosi fuerint sequentium homines saeculorum, breuiter attingo. SERENVS SAMMONICVS pater, qui, postquam plurimos ad doctrinam libros composuit, ab Antonino Caracallo interfectus est, y) filio cognomini, SERENO SAMMONICO, Gordiani iunioris praeceptor, ad LXII millia librorum reliquit, quos hic deinde moriens Gordiano discipulo legauit: eaque liberalitate effecit, ut et ille, tantae bibliothecae copia donatus, in famam litteratorum hominum perueniret. z) Atque ita supplendus est CASSANAEVS, a) scribens: *In primis Gordianus imperator, quem eruditus vir esset, bibliothecam maximam exstruxit, in qua sexaginta duo millia voluminum collocauit.* Denique ignobilis silentio inuoluendus non est ANIC. MANL. SEVERINVS BOETIVS, qui armarii sui meminit, idque ebore ac uitro splendide exornatum fuisse subiunxit, quando philosophiam adloquitur: b) *Nibilne te ipsa loci facies mouet? Haecce est bibliotheca, quam certissimam tibi sedem nostris in laribus ipsa delegeras?* in qua mecum saepe residens, de diuininarum humanarumque rerum

C sci-

s) not. in Apuleii apologiam, p. 140.

t) animaduers. philol. et hist. parte VII, c. 3, §. 5. p. 54. 55.

u) de tranquillit. animi, c. 9.

x) sat. 2, u. 4. fqq.

y) AEL. SPARTIANVS in Caracalli vita, c. 4.

z) IVL. CAPITOLIN. in Gordiano iun. c. 18.

a) loc. cit.

b) de consolat. philos. lib. I, prosa 4.

DE BIBLIOTHECIS

scientia differebas? Ad quae illa responderet: c) Itaque non tam me loci huius, quam tua facies mouet. Nec bibliothecae potius comitos ebore ac uitro parietes, quam tuae mentis sedem requiro. in qua non libros, sed id, quod libris pretium facit, librorum quondam meorum sententias collocaui.

XIII. Postquam ita singulorū quorundam studia in conquirendo congerendoque librorum numero exegi; possem equidem et eorum renouare memoriam, quos tanquam *Bibliothes* et librorum heluones, quia bibliothecas non ad usum, sed ad pompa et luxum instruebant, exagitant falsoque non minus, quam uere, depexos reddunt, tum *LCVIANVS* d) e Graecis, tum e Latinis *SENECA*, e) *IVVENALIS*, f) *AVSONIUS* g) aliique: sed studiosam eorum luxuriam, et luxurians studium, liberalissimamque illiberalitate in, indictam transmitto; quoniam quos ad spectaculum compararant libros, nemini spectandos utendos uterunt: potiori iure iucandas eorum recordationes dabo, qui ut inopem doctorum diligentiam iuarent, et rei literariae commodum, libros non sibi seruarunt, sed ad communem omnium utilitatem retulerunt. Potissimum augusta imperatorum nomina primorum recitabo, qui, ut in rep. administranda magistros mutos consulerent, eorum sibi copiam adscilcere in palatium et in cubiculum non sunt dediti.

XV. Laus publicae bibliothecae prima tribuitur *CASINIO POLLIONI*; sed ita, ut *AVGVSTVS* aliquam eius sibi partem uindicit, quippe cuius auspiciis et hortatu Pollio in Auentino atrium Libertatis refecit, h) et bibliothecam adiecit, quam acute quidem, sed oblique, respexit *MARTIALIS*, i) ubi librum, quem ex Hispania in urbem misserat,

non

c) prosa 5.

d) in dialogo adu. indoctum et multos libros coementem.

e) de tranquillitate animi, c. 9.

f) sat. 2, u. 4 sqq.

g) epigr. 44.

h) *SVETONIUS* in vita Augusti, c. 29.

i) lib. XII, epigr. 3, u. 6.

ROMANORVM.

19

non esse peregrinum, eo argumēto conficit, quia eius *habet*
fratres tot domus alta Remi. Nam qui per Remi domum in-
 telligunt Rōmam, fluctuantem et uagam sententiam dicunt. At
 qui in Auentinum, ubi Remi prisca fides, nos dedicunt, ii
 uero atrium Libertatis ipso qualis digito signant, in cuius arma-
 riis poeta libros suos delituisse, argutissime declarat. Qui pri-
 mus publicae bibliothecae auctor perhibetur ab omnibus, is
 idem Pollio est, qui prīus omnium Romanorum in consellū
 hominum declamat, k) cum Cicerone contendens de prin-
 cipatu eloquentiae. Splendidum est elogium, quo PLINIVS
 l) eum mactat, ASINII POLLIONIS, inquiens, *hoc Ro-*
miae inuentum, qui primus bibliothecam dicando ingenia homi-
nūm rempublicam fecit. Quicum consentit ISIDORVS, m)
 qui, *Primus autem, ait, Romae bibliothecas publicas publicauit*
Pollio, Graecas simul atque Latinas, additis auctorum imaginib-
us in atrio, quod de manubib⁹ magnificissimum exstruxerat.
 Sed ISIDORVS commiscere uidetur Palatinas cum Vlpia, nam
 in atrio Libertatis Graecam fuisse et Latinam, nemo dixit.
 Manubias redegerat e Parthinis, Dalmatiae populo, cui Epi-
 daurum ademit A. V. C. IoccXV, n) et de quo triumphauit, uti
 habent fasti Capitolini: ASINIVS POLLIO PROCONSUL
 AN - - - EX PARTHINEIS VIII K. NOVEMBER. Inde
 coniectura mihi nascitur et suspicio, bibliothecam a Pollio-
 ne intra A. V. C. IoccXVI et IoccXXI esse publicatam.
 ipse enim annus certo definiri nequit. PLINIVS
 deinde et PLINIO et ISIDORO explicandus est, et uera ipsi
 lectio restituenda, quando Varronis imaginem adhuc uiuentis
 in ea, quae in atrio Libertatis erat, esse collocatam adfirmat. o) M.
 Varro, in bibliotheca, inquiens, *quae prima in urbe ab Asi-*
nio Polione ex manubib⁹ publicata Romae est, unius uiuentis
 C 2 posita

k) SENECA in praefat. l. III, excerpti. controuersi. ubi NICOL. FABER
 de vita Asini nominilla concessit. Add. IO. GLANDORPIVS in O-
 nomastico Rom. p. 123. et EMMENESSIVS ad Virgilii eclog. III, 12.

l) Hist. N. lib. XXXV, c. 2.

m) origin. l. VI, c. 3.

n) DIO CASSIVS, lib. XLVIII, p. 436.

o) lib. VII, c. 30.

DE BIBLIOTHECIS

*posita imago est. In urbe, non, in orbe, legendum est. in urbe Romae, suffragante CICERONE, qui p) scripsit, in oppido Antiochiae. Dilecta enim, Romae hoc inuentum esse, ipse Plinius memorat. Quam lectionem si admittas, negotium facessent nullum Alexandriae et Pergami regum bibliothecae. perinde enim erit, seu fuerint publicae, ut Alinii, seu priuatae. sed de his fortasse alius dicendi locus erit. Porro caueas uelim, ne PLINI uerba tibi imponant, ut statuas, bibliothecam, quam Pollio ex manubiis comparauit, antea fuisse M. Varronis: quippe cuius, ab Antonio una cum Cicerone proscripti, bibliothecam A. V. C. ICCCX dispersam esse nouimus. Itaque, ut orationi Pliniane concilietur perspicuitas, post nomen *Varronis* non incommodo incisum statuetur, ut modo locum recensimus. Manet ergo Pollionis honoros dedicatae follemin formula bibliothecae, quandoquidem neque Luculli humanitas, neque uoluntas Caesaris, palmam ipsi dubiam reddunt. q)*

XVI. A. V. C. ICCCXI ipse AVGVSTVS librariam e Dalmatarum manubiis erexit, et, Octauianae celebrem nomine, sororis memoriae dicavit. r) Επειδή τε οἱ Δαλμάται παντεῖς ἐκεχίσαντο, ταῖς τε στοάς ἀπὸ τῶν λαφύρων αὐτοῦν, καὶ τὰς ἀπὸ Θηρας τῶν βιβλίων, ταὶς Οκταυιαναῖς απὸ τῆς αἰδελφῆς αὐτοῦ κληθεῖσας, κατεκαίσαντο. PLVTARCHVS s) quidem in honorem ac memoriam defuncti Marcelli, bibliothecam a matre ipsius, Octavia, dicatam esse scribit: sed intercedunt critici, t) eo quod mortem Marcellus suam denum obierit A. V. C. ICCCXXXI, u) Collocata ea fuerat in porticus Octauianae parte superiori, quum inferior inserviret deambulationibus, contigua Marcelli theatro, in regione urbis VIII, ubi et ab ONVPHRIO PANVINIO x) reponitur: Porticus Octauiae, sororis Augusti, in qua erant sc̄hola, curia et bibliotheca. Praefuit:

p) ad Attic. lib. V, epist. 18. add. VOSSIVS de construct. cap. 25, pag. 414.

q) SAM. PITISCVS Lex. antiq. Rom. tom. I, p. 276.

r) DIO CASSIVS lib. XLVIII, p. 477.

s) in Marcello p. 316.

t) PITISCVS L. cit.

u) DIO lib. LIII, p. 593.

x) in reip. Rom. commentar. lib. I, ubi est urbis descriptio, p. 82.

ROMANORVM.

fuit eidem C. Melissus, Augusti libertus et Grammaticus. SVENTONIVS de Melisso: y) *Cito manumissus, Augusto et insinuatus est. quo delegante, curam ordinandarum bibliothecarum in Octaviae portica suscepit.* Arsit elegantissimum hoc opus, Tito imperante, quum Roma tres dies continuos totidemque noctes flagraret, quod incendium consumpsit z) καὶ τὸ Σεραπῖον, καὶ τὸ Ιστέον, τὰ τε σικτά, καὶ τὸ Ποσειδώνιον, τό, τε Βαλανεῖον τὸ τοῦ Αγέπτου, καὶ τὸ Πάνθεον, τό, τε Διομήτερίον, καὶ τὸ τοῦ Βάλβου Σταύρου, καὶ τὴν τοῦ Πομπηίου σκηνὴν, καὶ τὰ Οκταυονία δικῆματα καὶ μετὰ τῶν βιβλίων, τὸν τε νεών τοῦ Διος τοῦ καπιτωλίνου μετὰ τῶν συνάντων αὐτοῦ.

XVII. Altera ab Octavio bibliotheca in Palatio condita fuit, *Palatina*, A. V. C. I^o CCXXVI, quum esset consul VI. a) τό, τε Ἀπολλώνιον τό, τε ἐν τῷ Παλατίῳ, καὶ τὸ τεμένισμα τὸ περὶ αὐτὸν, τὰς τε αἰποθήκας τῶν βιβλίων, ἐξεποίησε καὶ παθέσωσε: Praeterea Apollinis in Palatio templum, ac bibliothecas perfecit et dedicauit. Disertius eadem de re loquitur TRANQVILLVS: b) *Templum Apollinis in ea parte Palatinæ domus excitauit, quam fulmine ictam desiderari a Deo haruspices prouuntia- rant. Addidit porticus cum bibliotheca Latina Graecaque, quo loco iam senior saepe etiam senatum habuit, decuriasque iudi- cium recognouit.* Constat inde, duas in Palatio fuisse bibliothecas, quot etiam in regione X statuit P. VICTOR. c) Frequentissima Palatinæ fit mentio apud scriptores antiquos, quorum unus iam Venusinus d) sit pro omnibus. Is enim, a plagii cri- mine deterrens Celsus, monet,

priuatas ut quaerat opes, et tangere uillet
scripta, Palatinus quaecunque recepit Apollo.

Ad quem locum interpres uetus adposite adscripsit: *Cæsar sibi in bibliotheca statuam posuerat ad habitum ac statuam Apollinis. Eam delineauit PLINIVS: e)* Facitauit colosso et Italiz-

C 3

ui-

y) *de illustr. Grammat. c. 21.*

z) *XIPHILINVS in Tito, p. m. 230.*

a) *DIO lib. LIII, p. 568.*

b) *in Augusto, c. 20.*

c) *de region. urb.*

d) *I, ep. 3. uers. 16.*

e) *H.N.lib. XXXIII, cap. 7. add. ONOFR. PANVINIVS loc. cit. p. 27.*

uidemus certe Apollinem in bibliotheca templi Augusti Tuscani-
cum quinquaginta pedum a pollice, dubium, aere mirabiliorum,
an pulchritudine. Libros Pompeio Macro Augustus, (non
Iulius, uti nonnulli e S V E T O N I I loco aut obiter lecto, aut
prae intellecto, colligunt,) in ordinem redigendos demandauit.
Quos omnes libellos, ait TRANQVILLVS, f) uetus
Augustus publicari in epistola, quam, breuem admodum ac sim-
plicem, ad Pompeium Macrum, cui ordinandas bibliothecas de-
legauerat, misit. Post hunc Palatinæ praeuit C. Iulius Hig-
nus, g) Quidio familiarissimus. Sunt et in marmoribus
apud L A V R. P I G N O R I V M, h) et alios, nomina quorun-
dam, qui imperatorum a bibliotheca Graeca Latinaque fuerint.
A Graeca: C. IVLIVS. C. L. PHRONYMVS. A. BIBLIO-
THECA GRAECA. quae inscriptio Romae in aede Maffei-
orum extitisse dicitur. DIS. MANIBVS. C. IVLIVS. FELIX. (al.
FALYX) A. BIBLIOTHECA. GRAFCA. PALAT. A Latina: OSSA
VIBIAE. SVCCESSEAE. LIVIAE. AVG. SER. AB. ARGEN-
TO. POTORIO. ITEM. A. VESTE. L. VIBIVS. (al. VIRIVS)
AVG. SERV. PAMPHILVS. SCRIBA. LIB. ET. A. BIBLIO-
THECA. LATINA. APOLLINIS. CONIVGI. FIDELISSI-
MAE. ET. PISSIMAE. B. D. S. M. item: SVLPICIAE
THALLVSSAE. ANTIOCHVS. TI. CLAVDI CAESARIS
A. BIBLIOTHECA. LATINA. APOLLINIS. CONIVGI
SVAE. BENE. MERITAE. i) item: TI. CLAVDIVS. ALCI-
BIADES. MAG. A. BIBLIOTHECA. LATINA. APOLLI-
NIS. ITEM. SCRIB. AB. EPISTVLIS. LAT. k) Inuenitur
quoque TI. CLAVDIVS. AVG. L. HYMENEVS. MEDICVS
A. BIBLIOTHECIS. Neque illud hoc loco omitendum est,
in templo Apollinis, poetas sua scripta, ut quaque probatissi-
ma fuissent, reponere consueuisse. l) Reposita quin etiam ibi pu-
tan-

f) In uita Iulii, c. 56.

g) Idem de illistr. Gramm. c. 20.

h) de seruis, p. 216. 217.

i) PANVINIVS l. c.

k) FLEETVVOOD inscript. antiqu. sylloge, p. 181.

l) LVC. FAVNVS de antiqu. urb. Rom. l. II, r. 22, p. 56.

tantur Iosephi et Philonis Iudeorum opera, et huius quidem, si uera praedicat E V S E B I V S, m) libri aduersus Caïum, quos, per cauillationem de uirutibus inscriptos, Claudio imperante, coram uniuerso sénatu recitauerat, digni sunt habiti, qui in bibliothecis publicis adseruarentur. Illius uero scripta, ut haber NICEPHORVS, n) Titus imperator manibus suis descripta, in Romanam bibliothecam recondidit: nisi forsitan per Romanam bibliothecam significetur Vlpia, a Vespasiano patre erecta.

XVIII. Non immerito hic quaeritur, quam diu Palatina durauerit? et non habeo ambiguum, in magno incendio, quod Commodo regnante urbem adfixit, si non funditus euersam, uehementer tamen fuisse attritam. Nam cL. GALE-NVS o) planissime, nec dissimulanter, scribit, eo incendio, cum templo Pacis, et ingentes Palatii bibliothecas conflagrasse. Idem certe et XIPHILINVS p) indicat: ἐς το Παλάτιον μετωποθέν (πῦρ) ἐσπήλαθε, καὶ πολλὰ πάνυ ἀντοῦ κατέκανετ. Neque tamen prorius deletam oportet; siquidem P. VICTOR Palatinae bibliothecae, suo adhuc aevo (uixit autem sub Constantino M.) florentis, mentionem fecit. Vrget itaque noua dubitatio, num triplicem Romae euerisionem, Alarici, Genseric, Totilae, superauerit? quod si IOANNEM Sarisberiensem q) audimus, qui P. M. Gregorium M. (obiit is A. C. Ic c VI) perhibet concremasse probatae lectionis

scripta, Palatinus quaecunque tenebat Apollo;

in quibus fuerunt praecipua, quae caelestium mentem, et superiorum oracula uidebantur hominibus reuelare: si, inquam, Sarisberiensis uerba ualeat, dicendum est, Palatinam in cinere deflagratae urbis exustam non esse, quippe quae demum a Gregorio fuerit abolita. At, quomodo fidei IOANNI indubitanter adiungamus,

m) H. E. l. II, c. 18.

n) H. E. l. III, c. u.

o) in prooem. libri I, de compas. medicam. per genera.

p) in Commodo circa fin.

q) in Polycratico s. de nugis curialium l. II, c. 26. p. 123.

DE BIBLIOTHECIS

mus, ipse in causa est, quoniam alibi, r) quum de bibliothecae Capitolinea interitu sub Commodo recitasset uerba Orofii, subiicit: *Fertur tamen beatus Gregorius bibliothecam combustisse gentilem, quo diuinae paginae gratior effet locus, et maior auctoritas, et diligentia studiosior.* Ut dicere uoluisse uideatur, Capitolinac, non Palatinae, reliquias Gregorium sustulisse. Sed haec, ueluti incompta et in incerto posita, in medio relinquimus. Illud uero satis explorare perceptum est et cognitum, memoria esse lapsum uirum, de re litteraria optime alias meritum, cuius nomini iccirco lubens parco, qui bibliothecas in templo Apollinis Graecas Latinasque, *Octauias*, et a loco *Palatinas* esse appellatas, scribit. At Octauianam et Palatinam, diuersas fuisse, nifi, quae superius sunt dicta, cui persuaderent, uel uenustissima Siren Sulmonensi, s) quamvis illius uerisculi ab interpretibus male habiti, et in uarios sensus de templo magnae Matris, de templo Vestae, Herculis Musarum, Veneris Victricis, sint detorta, nos in eam tamen sententiam adducet, tres Augusti saeculo fuisse Romae bibliothecas, unam Apollinis in regione urbis decima; alteram Octauianam in nona; tertiam Asinii Pollio-nis, in tertia et decima urbis regione. Ita autem canit:

*Inde tenore (al. timore) pari gradibus sublimia celsis
ducor ad intonsi candida templa Dei;*

*signa peregrinis ubi sunt alterna columnis
Belides, et stricto barbarus ense pater:*

*Quaque uiri docto ueteres cepere nouique
pectore, lecturis inspicienda patent.*

*Quaerebam fratres, exceptis scilicet illis,
quos sius optaret non genuisse parens.*

*Quaerentem frustra custos me sedibus illis
praepositus sancto iussit abire loco.*

Altera templa peto, uicina iuncta theatro: (puta, Marcelli)
Haec quoque erant pedibus non adeunda meis.

*Nec me, quae doctis patuerunt prima libellis
Aria, Libertas tangere passa sua est.*

Igno-

r) lib. VIII, c. 19, p. 646.

s) lib. III, Trist. eleg. 1.

ROMANORVM.

25

Ignoscant, quaeſo, critici ſenatus principes, fi ex hoc ipſo loco, quae doctis patuerunt prima libellis, deprehendiffere mihi uideror dominandi artem, qua Augustus occulite uoluit nouam reip. formam stabilire. Noluit probatae eſſe lectionis niſi eos libros, qui in quandam bibliothecam ex iis, quas ipſe uel per ſe, uel per alios, aperuerat, ut recipierenrur, digni eſſent iudicati. Aliunde enim conſtat, quantum laborarit Augustus de uiris doctis in ſuas partes trahendis, ut eorum uteretur opera in nouo principatu conſtituendo: et quam ſedulo inquifuerit in eos, qui in orrupta libertate gaudebant, quiue inferuiebant temporibus, et principi lenocinabantur. Qui ipſum in imperio excipiebant, eadem arte uofos eſſe, arguant quadam euenia ea, que modo de Philonis ſcripto de uitritibus aduersus Caium ex EUSEBIO rerulimus. Sed de his uideant, qui plus uident, quam nobis uide reatum eſt.

XVIII. In eodem Palatino monte TIBERIVS, proximus ab Auguſto imperator, domum habuit, uti ex plumbea lamina aquaeductus ibi reperta, cum inſcriptione: TIBERII CAES. IMP. coniiciunt uiri docti, ea parte, qua uerſus uiam ſacram et Pacis templum ſpectat. Atque hiſ ipſis in aedibus librorum collectionem ſeu ipſe Tiberius inſtituit, ſeu ſuccesorum aliquis, ut in Palatii parte remoriore, poſt alias ab alio latere aedificiorum acceſſiones; q) id quod credimus notiam PANVINIO, qui r) in regione X habet: Bibliotheca domus Tiberianae; quam GELLIO, s) ſcribenti: Quum in domus Tiberianae bibliotheca ſederemus, ego et Apollinaris Sulpicius. Quum autem calamitosum incendium in ea circi parte, quae Palatino Caelioque monribus uicina eſt, imperante Nerone orrum, ſtimque ualidum ac uento citum, fere decem urbis regiones deuafarit; eoque opes tot uictoriis queſitae, et Graecarum ariuum decora, itemque monumenta ingeniorum antiqua et incorruptra, quae reparari nequibant, exuſta finit: t)

D

mira-

q) SAM. PITISCVS l. cit. p. 277.

r) loc. cit. p. 97.

s) l. XIII, c 19

t) CORN. TACITVS annal. lib. XV, c. 38, 39, 40, 41.

mirari subit, neminem antiquorum, eiusdem reparatio a quoniam facta sit? meminisse: quam tamen FL. VOPISCVS u) bibliothecam in domo Tiberiana suo adhuc aeuo exstitisse tradat: *Vsus sum praecipue libris ex biblioteca Vlpia, aetate mea Thermis Diocletianis, item ex domo Tiberiana.* *Vsus etiam ex regestis scribarum porticus Porphyreticae, actis etiam senatus et populi.* Notat quidem CASAVBONVS, x) in codd. legi Numeriana; sed hanc lectionem reicit, ideo, quod eo nomine bibliotheca nulla fuit, cuius quidem hodie exstet memoria: cui adsentior, et codicum lectionem ne ad speciem quidem defendi posse autumo; etiam si nouam a Numeriano Caeare, eloquentissimo principe, qui post Aurelium Probum una cum patre Caro, ac fratre Carino, rebus Romanis potitus est, constitutam fuisse, ex illo ipso loco coniecturando augurari quis uelit. Silent enim de eadem historiae. Et quamvis istius silentii causam communisci in proclui sit, quod illam priuato usui destinari, et breve admodum tempus patrem superuixerit: male tamen coniecuris et ratiusculi pugnatur, ubi res fide historica est conficienda. Ceterum et in domus sua bibliothecam, et in publicas, intulisse dicitur Tiberius EPHORIONIS, RHIANI et PARTHENII, poëtarum Graecorum, quibus admodum delectabatur, scripta et imagines, indeque eruditorum diligentiam prouocasse. Apollinem uero Temenitem et amplitudinis et artis eximiae, adiectum Syracusis, in bibliotheca noui templi ponere, morte praeuentus non potuit. y)

XX. Tiberium in imperio seculi sunt pessimi aliquot principes et monstra hominum, sub quibus studiorum dignitas multum imminuta, et praemia subdiaque litteratis non modo nulla constituta, sed quae superiores liberalissime erant imperiti, detracta sunt. Occupauit tandem solium VESPASIANVS, qui honorem Musis habuit, et *Pacis* templo, ad uiam sacram in regione IIII, a se exaltato, nouam, uti quidem coniectant cordatiiores, bibliothecam adiunxit. SVETONIVS, grauis scri-

ptor,

u) in Probo, cap. 2.

x) ad h. l.

y) SVETON. in uit. c. 70, 74.

ptor, cum **GELLIO** collatus, nos ad id templum deducit, atque hanc sententiam sat speciosè corroborat. Ille enim z) auctor est, quem reparationem Capitolii esset adgressus, Vespasianum aenearum tabularum tria millia, quae simul conflagraverant, restituenda suscepisse, undique inuestigaris exemplaribus, instrumentum imperii pulcherissimum ac uetusissimum; quo continebantur paene ab exordio urbis senatus consulta, plebiscita de societate et foedere. Et mox subdit: *Fecit et noua opera, templum Pacis foro proximum.* Volut nempe postrema connecere cum superioribus, ut palam esset, documentis illis restitutis locum datum esse, non in Capitolio, sed in Pacis templo. Auget hanc conjecturam I O S E P H V S , a) qui in id pretiosissima quaeque esse collata, adfirmat. Illa enim SCtA, plebiscita, foedera, quorum exempla undique conquisiuit, haud dubie cum pretiosissimis custodienda curavit: nouisque operibus, a se excitatis, ut ornamentum insigne addidit. Quae eti tacite innuunt, in templo Pacis, quod dicebamus, bibliothecam quoque a Vespasiano collocaram fuisse: multum tamen lucis infundit **GELLIVS**, b) quando in Pacis bibliotheca praedicat, commentarium L. Aelii, qui Varronis magister fuit, studiose quaesitum, inque Pacis bibliotheca reperit, se legisse. Et quamvis negue hic nomen conditoris edat: Pacis tamen bibliothecam non alium habuisse auctorem, quam qui templum exaedificauerit, ex comparatione haud difficulter elicetur. Quare Vespasiano gloria et facti templi, et illatae in id bibliothecae, illibata manet et integra. In hanc Pacis bibliothecam Galenus suos libros deposuerat, quorum pauci ignem, quo magna urbis pars aetate incommodi istius Commodi correpta est, effugerunt: c) *Scripsimus et iam antea commentarium, cuius priores duo libri in publicum sane prodierant: sed cum aliis in apotheca, quae ad viam sacram est, relicti intercedere, quando Pacis delubrum totum, et ingentes Palatii bibliothecae,*

D 2

z) in vita Vespasiani, c. 8.

a) *de bello Iud. lib. VII, c. 24. (al. 29.)*b) *I. XVI, c. 8.*c) *loc. cit. conf. de libris propriis, c. 2, et II.*

cae, incendio conflagravit: tunc enim et aliorum complurium, et mei libri, qui in apotheca illa erant sepositi, interierunt. In Pacis hoc templo, tamquam in Medicorum rationalium palaestra, tum ante, tum post eius conflagrationem, quotidie congregabantur, quicunque artibus logicis erant dediti; d) ut cum templo et bibliothecam mox esse resuscitatam suspiceris. Ceterum de *εἰρηνείοις* deaustatione, quod ornamenti Aegyptiorum et Arabum, e) itemque uasis ex Hierosolymitanu templo exportatis, ditatum, f) μέγιστον καὶ κάλλιστον γενομένον τὸν ἐν τῇ πόλει Ἑργαν, καὶ πλουσιώτατον audit HERODIANO, g) laudatimodo scriptores pluribus edisserunt cum aliis, quos deinceps nominabo.

XXI. In Capitolio stetisse bibliothecam, aequo ferme incertum est, quam incertus illius auctor. De illa intelligunt EVSEBIVM, h) ubi de Commodo agit: *In Capitolium fulmen ruit, et, magna inflammatione facta, bibliothecam et vicinas quasque aedes concremauit.* Et PAVLVM OROSIVM: i) *Flagitia regis, inquietem, poena urbis insequitur.* Nam fulmine Capitolium ictum, ex quo facta inflammatio bibliothecam illam, maior studio curaque compositam, aedesque alias iuxta sitas, rapaci turbine concremauit. Recte quidem uidit IVS T. RYCIQVIUS, k) ista verba ad alia etiam trahi posse templa, addo, et ad aliam bibliothecam, seu Palatinam, seu illam, quae in Pacis templo sicut constituta, quandoquidem utramque eodem fato periisse ostendimus: et tamen plerique omnes in eo consentiunt, librorum ibi armarium fuisse. quare et PANVINIUS bibliothecam Capitolinam in regione octaua apposuit. Maior disceptatio est de eo: quis Capitolinam dedicari? LIPSIUS Domitiano adiudicat dedicationem, quia Capitolium refe-

d) GALENV *de libris propriis*, cap. 2.

e) XIPHILIN. l. cit.

f) JOSEPHVS de B. I. lib. VII, c. 24.

g) lib. I, c. 14, p. m. 45-46. Conf. Magdeburgenses Cent. II, cap. 7.

h) in cchronico, translato ab Hieronymo, ad A. C. 190.

i) lib. VII, c. 16.

k) *de Capitol. Rom. c. ii, p. 135.*

refecit, et bibliothecas incendio absumtas restituit. ALEXANDER DONATVS ^{l)} pro Hadriano decernit, eo, quod in Capitolio instituerat gymnasia, et porticus, m) quibus bibliotheca maxime sit apta. n) Et in huius sententiam secedunt hodie paene omnes. Qui pro Domitiano pronuntiant, prouocare ut plurimum solent ad sequentia TRANQVILLI o) uerba: *Liberalia studia in initio imperii neglexit, quamquam bibliothecas incendio absumtas impensissime reparare curasset, exemplaribus undique petitis, missisque Alexandriam, qui describerent emendarentque. et sex AVREL. VICTORIS: p) Bibliothecas incendio consumtas, petitis undique, praesertim Alexandria, exemplis, reparauit.*

XXII. Nominatissima nunc nominanda uenit bibliotheca VLPIA, ab VLPIO TRAIANO, optimo principe, cognominata, quam ipse alicui operum suorum nobiliorum, (ubi enim posuerit, distincte non docent ueteres,) instinctu Plinii Iunioris, annexam consecrauit. GELLIVS tamen q) edicta ueterum Praetorum in bibliotheca templi Traiani seruari scribens, cerrum locum, ubi fuerit primitus, adsignare uidetur. Sed illud templum post Traiani demum mortem honori eius ab Hadriano dicatum fuisse, AELIVS SPARTIANVS r) persuadet, *Cum opera, inquiens, ubique infinita fecisset, numquam ipse, nisi in Traiani patris templo, nomen suum scripsit.* Ut proinde dicatae a Traiano Hadrianus de commoda habitatione prospicxisse dicendum est. Hinc LVCIVS FAVNVS, s) agens de foro Traiani, et de omnibus, quae in eo essent, ibi locorum et

D 3

tem-

-
- l) *de urbe Roma, l. II, c. 9.*
 - m) EVTROPIVS l. VII, c. 15, n. 6.
 - n) PITISCVS l. cit. EVRC. GOTTHELF STRUVIVS *introd. in notit. rei litter. c. 2, §. 13.*
 - o) *in vita, c. 20.*
 - p) *in epit. n. 23.*
 - q) *I. XI, c. 17.*
 - r) *in Hadriano, cap. 19.*
 - s) *in antiquit. urbis R. lib. II, c. 24.*

templū atque bibliothecam fuisse existimari, sine affirmatio-
ne, dubitanter scribit.^{b)} Quae si uera sunt, quaerenda est bibliotheca,
una cum templo, in regione urbis octaua. P. VICTOR:
*Forum Traiani cum templo et equo aeneo, et columnā colchide, quae
est alta pedes CXXVIII, habetque intus gradus CLXXXV, fene-
stellas XLV. XIPHILINVS t) non templi, sed bibliothecae,*
meminit: *κατεσκευασ δὲ κρήπιδιν αποθίνεις.* Duas fuisse, eas-
que coenaculis distinctas, aut porticu discretas, colligunt u)^{c)} e
SIDONII APOLLINARIS x) uerificulo:

*Quum meis ponī statuam perennem
Nerua Traianus titulis uideret
inter auctores utriusque fixam
bibliothecae.*

Vbi IOAN. SAVARO addit: *Graecae et Latinae.* At uereor, ne
quod multis accidisse obseruauimus, idem et Sauaroni accide-
rit, ut Palatinas cum Vlpia permisceret. Statuam ei Leo et Ma-
forianus Imp. senatu perente, ob litterarum claritatem statue-
runt, seu in foro Traiani, y) seu in porticu: z)

Vlpia quod rutilat porticus aere meo;

Idque factum est A. C. CCCCLIII, si BARONI calculus non errat.
Largiamur itaque, Vlpiam in Traiani templo locatam fuisse,
quem ei locum et PANVINIVS adsignat: *Bibliotheca tem-
pli diui Traiani.* Mox a Diocletiano, ambitio o princepe, in
thermas Diocletianas translaram, quo nouo huic operi celebri-
tatem conciliaret. a) Exinde VOPISCVS saepius documenta
repetit, ut eorum, quae dixerat, fides constaret. Imp Nu-
merianus laudi ducebat, sibi fuisse in Vlpia (ONVPHRIVS
per-

t) in Traiano, p. m. 251.

u) PITISCVS l. cit. et auctores ibi magno numero laudati.

x) l. VIII, ep. 16.

y) Auctor uitiae Sidonii, e cod. ABR. ORTELII editus.

z) ut ipse ait carm. 8.

a) VOPISCVS in Probo, cap. 2.

perperam dicit, *in Palatina*) erectam statuam, hac inscriptio-
ne: NVMERIANO. CAESARI. ORATORI. SVIS. TEM-
PORIBVS. POTENTISSIMO. b)

XXXIII. In hac ut gesta principum libris linteis, (ita enim temporum consuetudo ferebat,) SCta uero elephantinis con-
scriberentur, Vlpia curauit. Atque hinc VOPISCVS c) illu-
stratur; ubi Iunii Tiberiani, ad huius principis uitam descri-
bendam cohortantis, uerba refert: *Quae omnia ex libris lin-
teis, in quibus ipse quotidiana sua scribere praeceperat, pro tua
sedulitate condidit. Curabo autem, ut tibi ex Vlpia bibliotheca
et libri linteis proferantur.* Qui et ibidem statim subdit: *Et
si hoc contentus non fueris, lecites Graecos, linteos etiam li-
bros requiras, quos Vlpia tibi bibliotheca, quam uolueris, min-
istrabit.* Lintei libri erant, quibus imperii Rom. facta con-
tinebantur, ut tradit GYRALDVUS, d) qui sua ex LIVIO e)
sumvit: *Nihil constat, inquiete, nisi in libros linteos utroque
anno relatum inter magistratus praefecti nomen.* Quid?
etiam lex aereis tabulis, uel cervisatis, uel linteis mappis, scri-
pta proponi dicuntur: f) et terminorum dimensiones in linteis
describebantur. HYGINVUS: g) *Libros aeris et typum totius
perticæ linteis descriptum secundum suas terminationes adscri-
ptis affinibus, tabulario Caesaris inferemus.* Postea linteis pri-
uata uoluminibus monumenta coepita sunt. h) Videntur
quoque res sacrae in iisdem inscribi solitae. Atque huc refero
SYMMACHI i) uerba: *Monitus Cumano lintea texta sumse-
runt: tu etiam sericis uoluminibus, Achaemenio more, infundi-
litteras meas praecipis.* SCta uero, postquam eadem in aes in-

ci-

b) VOPISCVS in uita Numeriani, c. n.

c) in Aureliano, c. l.

d) bishor. Deorum, snt. 3.

e) L. III, c. 13.

f) l. i. Cod. Theod. de alim. quae inop. parent. de publ. pet. debent. lib. XI.

g) de limitib. constit. p. 193. conf. ad h. loc. GVIL. GOESIVS, p. 165. et
NIC. RIGALTIVS, p. 270.

h) PLIN. l. XIII, c. n.

i) l. III, ep. 34. ibique FR. IVRETUS. Conf. HERM. HUGO de prima
scribendi origine, c. X, p. 95, 96.

cidendi mos desierat, Romani honoris caufsa in tabulis eboreis exarabant. vopiscvs:k) Ac ne quis me Graecorum alicui uel Latinorum existimet temere credidisse, habet bibliotheca Vlpia in armario sexto librum elephantinum, in quo hoc Sctum perscriptum est: cui Tacitus ipſe manu sua subscripsit. Nam diu haec Scta, quae ad principes pertinebant, in libris elephan- tinis scribebantur. Codicem eboreorum meminit etiam vLPIANVS. l)

XXIII. De Hadriano SPARTIANVS scriptum reliquit; m) quamuis omnium artium professores, ut docti- or, riserit, et in eis reprehendendis facilis fuerit, hos ta- men omnes honorasse et diuites fecisse; praeſertim Epicterum, quem, Roma olim expulſum, eo reuertiffe, ex hoc loco pa- tet, et Heliodorum, Philosophos; Fauorinum item, aliosque Grammaticos et artifices, quos in summa familiaritate habuit. Bibliothecam insuper Athenis, in qua urbe multa dedicauit, n) conſecrare fuitur. Vlpia ab eo in templum Traiani an lo- cata fuerit, nec ne? modo diximus. Nec obſcuris argumentis con- cluditur, eum esse, qui in agro Tiburtino librariam colloca- rit; utpote quam ille uillam mire exaedificauit, eique et prouinciarum et locorum celeberrima nomina indidit, uelut Lyceum, Aca- demiam, Prytaneum, Canopum, Poecilen, Tempe. o) Ad haec GELLIVS p) bibliothecam Tiburtinam nominat: Memi- nimus etiam in Tiburti bibliotheca inuenire nos in eodem Clau- dii libro scriptum. et: q) Sed, cum bibenda niuis pauſa fieret nulla, promit e bibliotheca Tiburti, quae tunc in Herculis templo satis commode instructa libris erat.

XXV.

k) in Tacito, c. 8.

l) l. 52 D. de leg. 3, digna, quae ob antiquitates rei litterariae bene mul- tas tota legatur.

m) in uita, c. 15, 16.

n) idem c. 19.

o) idem. c. 20.

p) lib. VIII, c. 14.

q) l. XVIII, c. 5.

XXV. Atque haec fere sunt Romanorum bibliothecae publicae et priuatae, de quibus post IVST. LIPSIVM, IO. LO-MEIERV M similesque , dicere habui. Neque uero piget profiteri, illos ipsos esse, per quos plurimum profecerim. Interea tamen neque nobis, neque aliis, persuadere satagimus, omnium, qui Romanorum tempore librorum aceruos congeserunt, memoriam nos recoluisse. Immò uero, aut paucos, aut neminem, inter Romanos, postquam eos semel legendi scribendique voluptas cepit, aliqua eruditioinis laude eminuisse puto, quin ad eam acquirendam libris, in pluteos congestis, usus fuerit. Pisoni GALENVS libros de theriaca ut inscriberet, ansam arripuit, quia Philosphorum non modo et medicorum scripta non modica in illius aedibus; sed et ipsum Pisonem diligenter eadem euoluentem, deprehendit. Et quid de M. Aurelio Tacito Imp. dicemus? qui Corn. Tacitum, ne lectorum incuria periret, decies per annos singulos in cunctis *ages* seribi, atque in bibliothecis collocari iussit: ob ciuem seruatum corona quernea donandus. Insignem certe, uti Corn. Taciti erat, quem ut parrem uenerabatur; ita et librorum amatorem fuisse oportet Tacitum. Quantum ad publicas attinet, earum undetriginta, et ex iis praecipue duas, Palatinam et Vlpianam, PVBL. VICTOR numerat; cui potius adstipulor, quam auctori opusculi de Mirabilibus Vrbis Romae , qui duodeuiginti fuisse, sribit. Nec hariolari possum, quo auctore ANDR. PAL-LADIVS r) numerum usque ad XXXVII augeat? Tandem coronidis loco superaddendum est, ne quis Maiorum bibliothecam a nobis praeteruit coarguat, qui apud LVC. FAVNVM s) legerit: *In Capitolio alia numeratur Maiorum bibliotheca nuncupata.* hoc nomine Romae nullam umquam fuisse. FAV- NVS dubio procul uerbis OROSII, t) per posituras male distincis, est deceptus. Quod, ne aliis offendiculo sit, hoc loco reticere non potuimus.

E

ADDL-

r) de antiquitat. Vrbis Romae ap. HENR. SALMVTH in not. ad PAN- CIROLLVM de rebus deperditis, p. m. 115.

s) lib. II, c. 22.

t) ex lib. VII, c. 16. retulimus ea supra §. 21.

ADDITIONUM ADDITAMENTA.

I. *Vnius vocabuli proprius est significatio una, et plures.*

II. *Qui argumentum historicum, vel philosophicum, ueribus scribunt, poëtae sunt, et non sunt.*

III. *Logica, Physica et Metaphysica, eloquentiae obsunt, et profundunt.*

IV. *Argumentum IUSTINI Martyris, quo Christianos defendit in apologia II, quia xenov odiisse iniquum sit, parui est momenti, non est.*

V. *In tradendis disciplinis exempla historiae ueteris sunt praferenda exemplis, petitis ex historia noua; et non sunt praferenda.*

VI. *Virtus est ante uirtutem Peripateticorum.*

VII. *Quod uoluntate rationis non potest contradicere, hoc est quod ratio debet recipere. Quod non satis obsequio illius rationis, ut deinde sequitur, non potest recipere.*

VIII.

DISSERTATIO MEDICO-PHYSICA

Weil muntrer Witz/ Vernunft und Denken/
Hoch-Edler! Deine Blätter zierte/
So muss auch Juliens Hand Dir schenken/
Was Deiner Weisheit längst gehährt.
Wer krönt die Arbeit kluger Sinnen?
Die Fama spricht: Ein guldner Ruhm.
Und Helmstadt schickt von Bindus Zinnen
Dir ihren Schmuck zum Eigenthum;
Weil Musen und Catheder sagen:
Dass ihr gewehtes Lorbeer-Deiß/
Von Dir mit Würden wird getragen.
Ich schreibe nichts zu deinem Preis.
Denn diese kluge Weisheits-Probe
Zeigt uns der Römer-Bücher-Saal;
Und dadurch baust Du Deinem Lobe
Ein ewig dauernd Ehren-Mahl.

M. Lud. Knobloch. Pol.
Ph. ac Med. Cult. Diss. inaug. Opp.

I.

Gechte Tugend/ muntre Gaben/
Witz/ und Weisheit/ und Verstand/
Bleiben denen unbekannt/
Welche Lust am Eiteln haben.
Denn sie dencken nur auf Sachen/
So die Sinnen dunkel machen.

2.

Aber/ wer nach Ehren ringet/
Und dabey die Demuth ehrt/
Ist bey jeden lieb und wehrt/
Weil er holde Schähe bringet.
Dieser bauet sich die Stufen
Zu dem Glück/ das ihm geruffen.

Werther Freund! ich muß bekennen/
Daz der Tugend Licht und Pracht
Dich in Wahrheit herrlich macht/
Man wird Dich Magister nennen.
Würden alle wie Du wehnen/
Könnte keiner iemahls fehlen.

Dem CANDIDATO

gratulirt zu der nach geendigter Disputation zu empfan-
genden Ehre ein ergebenster Freund und Diener
Joh. Rud. Fried. Krüger
d. G. G. B.

Umsonst wenn Trieb und Geist auf viele Lieder sinnen;
Dein Wehrt beschämst doch die Kunst der Pierinnen;
Du bist an Seltenheit wie ich an Schwäche reich;
Wenn Deine Weisheit prangt so seih ich roht und bleich.
Und wärst Du nicht so stark so wolt ich Dich wol loben/
Doch Du hast Dich zu hoch an Glanz und Ruhm erhoben;
Drum schweig ich lieber still / und wünsche Dir zum
Schluß/
Dein Glück behage Dir und der Minerven Kuß.

Dem Hochdelen Candidato schrieb dieses, als Er
nach gehaltener Disputation die Würde eines
Magistri erhielte, zum sietz geneigten Andenken
dessen ergebenster Freund und Diener

Gottfried Weniger
Aus Bremen
der Gottes-gelahrtheit Beßisser.

72 919.

ÖN A 6610




V ① 18

5b.

V ① 17
V ② 18

B.I.G.

Farbkarte #13



DISSE⁹
TATIO IN AVGVRALIS
DE
BIBLIOTHECIS
ROMANORVM
QVAM
IN ALMA SAXONVM IVLIA
INCLITO PHILOSOPHORVM ORDINE
CONSENTIENTE
PRAESIDE
ERHARDO REVSCHIO
ELOQV. AC POES. P.P.O. ET DECANO
PRO
PHILOSOPHIAE DOCTORIS ARTIVMQUE LL. MAGISTRI
PRIVILEGIIS ET HONORIBVS
RITE CONSEQVENDIS
IN AVDITORIO MAIORI
AD D. XXI DECEMBR. c^{lo} CCXXXIII
HORIS CONSVENTIS
DEFENDET
CHRISTIANVS CVRIO
OTTERNDORFIO-HADELIENSIS.

HELMAESTADI
TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII
ACAD. TYPOGR.